



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

CV. Ioannes VII. LXXIX. Arch. XXXIV. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

Series Archiepiscoporum, Primatum
 CIV. IACOBVS III, LXXVIII. ARCH.
 XXXIII. ELECTOR.

Genus perantiquum ab Eltz dictum Jacobo indidit infigne nomen, majus nomen dedere merita, ob quæ à congregatis Confluentiæ Canonicis electus, professionem Fidei juxta Tridentini Concilii formulam edidit. Tum verò civium suorum ad libertatem Imperii anhelantium animos, cum frustra per Legatos Septemvirum ad obsequium flectere conatus fuisset, evocatis ex urbe Clericis cives obsidione cinxit; quæ tamen brevi soluta est, causa à Cæsare Electorum arbitrio commissâ. Dum deinde cretis à Synodo Tridentina relictis intentus, eadem per Archidicesin suam promulgavit, denuo ad Spirensia vocatus Comitiam, Maximiliani II. Cæsaris filiam Elisabetham, ut Carolo Gallorum Regi sponsam adduceret, est rogatus. Interea sedes Patribus Societatis JESU in urbe amplior concessa, novatoribus verò aulae aditu interdictum fuit. Ecclesiasticam quoque Curiam reformavit, & Clericos vel ad nuptias, vel ad luxuriam proclives honoribus exutos, ignominiam notavit. In Comitibus Ratisbonæ habitis Lutheranorum cohorti libertatem Augustanæ Confessionis per universum Imperium postulanti Jacobus constantissimè restitit, non ita sibi constantibus Viris Orthodoxis aliis. Tandem ex Rudolphi II. Cæsaris sententia Treviri Archi-Episcopo suo subjecti Sacramentum usque hodie servatum dixere. Quare portis universæ civitatis affixa sunt Ecclesiæ insignia; Politia reformata, Religio confirmata, Academica studia instaurata: atque adeò munere suo functus optimè quievit Jacobus an. 1581. Sed. an. 14.

CV. IOANNES VII, LXXIX. ARCH.
 XXXIV. ELECTOR.

JOannes genere Schönbergius, triplici munere, nimirum in summa æde Præpositi, in urbe Gubernatoris, in Academia

nia Rectoris clarissimus, Mitrà proin tantâ, quanta est Trevirensium, judicatus est dignissimus, Augustæ Vindelicorum Mitrà & Pileo Electorali exornatus. Augustâ domum reversus Gebhardi Truchsesii, Coloniae Archi-Episcopi defectioni sese opposuit medium. Ille verò cum respueret sana consilia, Ernesti Bavariæ Ducis surrogationi haud ægrè adstipulatus est, à quo dictum Electorum omnium nomine sacramentum excepit. Stimulante dein Archi-Præsulem Legato Apostolico, producta denovo post annorum 40. intercapedinem Toga Domini, ingenti affluentium numero est exhibita. An. 1591. Bojariæ Principes Philippum & Ferdinandum in Canonicorum numerum admissos singulari honore excepit, & præsentes fovit, exemplum Electoris sui pro viribus imitante Magistratu & Academia. Par honor exhibitus est Archiduci Ernesto Belgium petenti. Annis postremis non uno duntaxat vexatus morbo, argumenta multa insignis patientiæ, religionis, & aliarum multarum virtutum ostendit, donec denique Confluentiæ an. 1599. animam multis meritis pretiosam creatori suo reddidit: exta & cor in templum Societatis JESU, cujus author erat, inferri jussit. Sed. an, 18.

SECVLVM XVII.

CVI, LOTHARIVS LXXX. ARCH.
XXXV. ELECTOR.

ANno 1600. Lotharius stemate Metternichius in Sedem Joannis evectus, aulæ suæ non admodum probatæ mores ac ministeria justissimis legibus ante omnia adstrinxit. Sacris dein Exercitiis, ut vocamus, in domo Probationis Soc. JESU, se totum impendit, ut sacræ, quin & profanæ militiæ se ritè accingeret & Archi-Præsul & Elector. Et hein! anno ejusdem